



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 19. Raymundi Lulli mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV. Dominicus Baonus Tarvisinus Episcopus,
A.C. 1315 ejus virtutum testis oculatus.

§. XIX.

Raymundi Lulli mors.

Hic annus etiam Raymundi Lulli postremus fuit. Post Viennense concilium, quo durante consiliorum suorum executionem impetrandi gratia in ea urbe aliquamdiu hæserat, Parisios rediit: tum Messanam, inde an. 1314 Palmam insulæ Balearium Majoris urbem principem petiit: demum in Africam delatus secundo Bugiam venit. Ibi primum Christianos inter mercatores abditus coepit secreto loqui cum Musulmannis sibi faventibus, quos jam informaverat. Cum eos confirmasset in fide, se diutius continendo impar in foro Christianæ religionis laudes contenta voce promulgabat, addens se mirari stultitiam illorum, qui fiduciam suam infami Mahometis in doctrina ponerent. Ad me quod attinet, inquit, paratus sum seu argumentis, seu vitæ meæ impendio demonstrare, gratiam & salutem humani generis non inveniri præterquam in fide JESU Christi Domini mei. Mementote me illum esse, quem vestri Principes antehac his e locis ac Tuneto expulerint. Rationibus meis victos se quod sentirent, metue-

Sup. l. 91.
 §. 59.
Boll. to. 23.
 p. 648 n. 79.
 p. 678.

metuebant scilicet, ne veritatem Christianorum dogmatum vobis discendi avidis dilucidarem. Modo solum salutis vestrae ac martyrii desiderium me ad vos reduxit.

Sæcul.XIV.
A.C.1315.

Hi sermones pluresque alii, quos ad-
jungebat, auscultantem plebeculam adeo
concitabant, ut Raymundum ferociter
impetum, alapis percussum, modis va-
riis exagitatum ad palatium Regis rapta-
ret. Damnatus ab hoc ad mortem, ex-
tra urbem ductus, lapidibusque obrutus
est die S. Petri 29 Junii anno 1315, æta-
tis suæ 80 circiter. Mercatores Chri-
stiani petum obtentumque cadaver ho-
norifice deportarunt in navem nocte
proxima abituram. Genuam, unde e-
rant, id devecturos venti contrarii Ma-
joricam sive Palmam adegerunt, ubi o-
mnis populus huic Martyri civi suo ibat
obviam, ejusque corpus sepultura affe-
cit in loco edito templi S. Francisci, cu-
jus Ordini tertio Raymundus nomen
dederat. Ex illo tempore palam ut San-
ctus Majoricæ colitur, etiam in tem-
plo cathedrali: & ut inter Cælites re-
ferretur, post tria secula, nempe ab an-
no 1605 usque ad 1617 multæ inquisi-
tiones sunt habitæ. At Ecclesia de hac
causa nihildum decrevit.

p. 635.

p. 679.

Ray-